



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Deuotio sensibilis quo spectet: vt ea neminem efficiat sanctiorem: quæ
item sit deuotio vera & laudabilis. Can. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

ceptissimam, utpote meam, hoc est, eius qui placandus est, matrem? Heu quantum errant, quantum sibi obstinationis ac perditionis machinam construunt, qui huic thesaurariz mearum gratiarum obgannunt, qui eam erga me (ut ego erga patrem sum) aduocatam cognoscere nolunt? Putas possiatne magis precipites sese in infernum detrudere, quam ut illam (propter cuius preces mundo toties peperci, toties iram distuli) a se alienam faciant, ut cum sit nemo qui pro illis se interponat, nemo qui extentam manum meam ad ferendum, recineat, ego liberè eos percusiam? Quæ autè pœna castigatio ve est maior, quàm ut non tēporaliter hic eos tanquam filios castigem, sed ut hostes in reprobum sensum tradam, ne videant excreati quo tendunt, donec perpetuis tenebris atque doloribus se captos inuolutosq; sentiant? Hæc tibi ut sponsæ meæ insinuo, ut hic & in re alia quacumque ab Ecclesiæ meæ dogmatibus, spiritu meo traditis non recedas, neque ab ijs maligno spiritu seductis, (qui se euangelicos vocant) falli te sinas.

In hæreticos B. Maria præcipuos hostes.

Deuotio sensibilis quo spectet: ut ea neminem efficiat sanctiorem, quæ item sit deuotio vera, & laudabilis.

CANON XIII.

SI deuotionem sensibilem non habueris, noli, tristis, & propterea animo esse deiecto: sed animo forti & constanti, licet arido, fac quicquid cognoueris, & potueris ad meum honorem. Sunt multi, qui lachrymantes videntur habere deuotionem aut dulcedinem spiritualem, quæ tamen vitam non facit sanctiorem, & cum mortalibus stat peccatis: utpote naturalis mollicies cordis, ut sit sæpè in mulieribus & hominibus compassiuus. Non ergo confidas in deuotione illa, quæ non sanctificat. Vidisti homines fientes & dolentes super morte alicuius pugilis maganimi, cuius præclara ac fortia gesta legerunt, licet Ethnicus is fuerit aut Paganus. Flent quoq; si amantium duorum tristem legerint separationem aut mortem. Quidni ergo mirum, si ad pijsissima quæque (dum illa vident in cultu meo vel commiserando his quæ pro eis passus sum, vel gratulando honori meo) fleant, qui tamen fletus ex cordis commotione naturali fiat, sitq; sine virtute, puta dum interrim non faciant voluntatem meam? Si ergo corde duro & sterili te sine huiusmodi deuotione inneneris, cura ut aliam veram habeas deuotionem, quæ est prompta voluntas secundum rationem se tradendi in ea quæ ad meum cultum, honorem ac beneplacitum feruiunt. Porro, ob alterius id est, sensibilis deuotionis defectum, causam potius inuestiga, ne fortassè ex dissolutione, leuitate, inordinato amore vel gaudio: aut ne propter occupationem nimiam circa terrena, aut propter superbiam, complacentiæ propitiæ cuiuspiam ve alterius vicij foeditatem illam amiseris dulcedinem: vbi sanè pro causa sterilitatis, id est, pro delicto magis quàm pro amissa deuotione est lugeandum. Satage ut bona voluntate, & nudo intellectu mihi vna adhareas, & nihil eorum quod meum respicit honorem, nihil boni à te fieri solitum, intermittas, patienterq; in tui derelictione agas, & te mihi resignando me sustineas. Et licet aliquando in sensualitate & in exteriori homine subito erumpat aliquid aut voluatur quod minus deceat, aut si perturbatio in te sit, aut præssura, si deniq; grauitas, renisus aut remurmuratio te occupauerit, cura saltem ut interior ac rationalis homo mihi subditus in tranquillitate maneat, meam voluntatem amando & suscipiendo.

Deuotio sensibilis vt neminem faciat sanctiorem.

Deuotio vera quæ sit.

Voluntate & intellectu quomodo Deo adhaerendum.